



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Cum per hac tempora Ludouicus Brandenburgensis marchio, Ludouici Imperatoris filius, (iam enim, quod in Scandalia diximus, feudum redibat ad Imperium) Lubicam venisset, adierunt eum comites Holsatia Iohannes & Henricus, ostendentes Danici regni longam diuturnamq; tumultuationem: expedire, vt aliquandò compositis rebus, ad tranquillitatem redigatur. Nam filij Magni Gerhardi, dum antehac mortem patris sui magnificè vlciscerentur, factum est plurimo labore, vt omnia regni negocia fierent perplexissima. Audiuit marchio perbenignè, quæ à comitibus dicebantur: effecitq; vt Waldemarum Sleswicici dux, cum comitibus memoratis anniteretur, quò ea res, competentibus ad pacem conditionibus, ad effectum perueniret. Polliciti operas comites, regem Waldemarum in regnum reducerunt. Dux Sleswicici germanam illi sororem suam coniugem dedit, vt omnis de medio fieret memoria similtatis. Erat tum annus quadragesimus primus post mille trecentos. Waldemarum autem dux male gratus comitibus, qui rei componendæ studuerunt, bellum illis cepit intentare: quanuis esset Henrici & Nicolai consobrinus, natus sorore patris amborum. Illi autem arma vertunt ad insidias, obseruantes tempora venationis, cuius erat ille studiosissimus, quod non ignorabant: captumq; in venatione perducunt in Fioniam, quæ adhuc in manibus erat Holsatorum: biennioq; tentum, grande luere suam captiuitatem coegerunt. Magna verò & multæ tum fuere in regno turbationes, à capite quàm maxime subortæ. Ludouicus marchio, Ludouici (vt diximus) Imperatoris filius, cum primam Danorum regis filiam coniugem morte amisisset, de secundis nuptijs cogitauit.

gitauit. Erat Margareta Stiria ducis vnica filia, iam nupta Dwentzlaio Iohannis regis Bohemia filio, puella insigni facie, quae maritum suum ad vota nuptiarum accusauit impotentem: secretiusq; literis egit apud Insuperatorem Ludouicum, vt marito subducta eunuchis, eius traderetur filio coniunx, etiam ecclesiae iudicio, quod mater esse vellet, diuortianda. Placuit Imperatori puella nobilis & diuitis, quae dotem afferret ducatum, in filium eius propensio. Sed filius vbi intellexit rem, non probauit: raptu sibi coniugem querere, non esse Christiani principis. Verum stimulante patre, cum etiam iurisperiti rem licitam dicerent, consensit: & puellam rapuit volentem. Nam repugnante marito aliter fieri non potuit: vt ecclesiae iudicio apud illum manens, diuortio abiungeretur. Ad tam atrox facinus vindicandum, omnis Bohemia, Vngariaeque, & Francia commouentur: bellum ingens conflatur: producuntur acies ob raptam puellam: Troiani belli renouantur initia: Confligitur acerrime: sed Ludouicus non inferior discessit. Is tamen erat belli exitus, vt Dwentzlaus sibi cohabitare foeminam nolentem dimitteret: quanuis Papa multis literis foeminam procacitate arguerit: vt potè, qui Imperatoria domui semper aduersaretur. Tenuit Margaretam Ludouicus: Sed tamen non facile obliuiscitur iniuriam Dwentzlaus. Nam longè post prouectus ad Imperium, marchioni excitauit aduersarium: quod suo loco in Dandalia commemorabitur.

CAPVT XVII.

Holsati iam in regno Daniae multis laboribus, & vt putabant, benemeritis pacem sperabant: sed vrebant Danorum oculos, cernere in regno Teutonicos, qui arces & oppida possiderent alienigena. Arcem Cal-
lingborg